

Heinrich Rudolph Redecker Georgius Gröne

**Dissertatio Analytica, Prima Ad Institutiones Iustinianaeas,**

**1**

Rostochi[i]: Richelius, 1660

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749830638>**

Band (Druck) Freier  Zugang





V. N. — 2 (142.)

1. Festingius, de artificio Advocatorum.
2. Bathasar, de praerogativis juris germanici praesertim iure romano in materia pactorum dotalium.
3. Sparmann, de praerogativa juris germanici praesertim iure romano in materia pactorum dotalium in specie invalidorum.
4. Inenord, an Creditoribus patroni megapolitani subordinati competat jus venditionem iuris patronatus impediendi aut perfectam iam venditionem rescindendi?
5. Waidschmidt, de superfactatione falso praetensa.
6. Hahn, de Fideiussoribus.
7. Hahn, de iure patronatus ecclesiastic.
8. Kulm, de accessu aeris per pulmones in sanguinem Dubio.
9. Heegius, de titulo mania creditorum.
10. Stryer, de officii necessitate.
11. Homberg zu Waus, de foro rei sitae ejusque amplitudine apud iudices germanos et de lūdala in eodem per arrestum juris dictione generatim.
12. Stryer, de dispensatione utriusque desponsatarum.
13. Schwenden d'offen, de privilegiis virginum.
14. Redegern, diss. analytica secunda ad Institutiones affinitatis.
15. Redegern, diss. analyt. tertia ad Inst. Testin.
16. Redegern, de advocatis.
17. Redegern, de interesse.

18. Federon, ad leg. III. C. de crimine sacrilegii
19. Federon, ad diffinit. de accessoribus
20. Federon, de accessoribus
21. Federon, ad diff. de exceptione P. C. Anaxodon.
22. Federon, except. P. C. Vallegan Anaxodon.
23. Federon, ad diff. de solutio in salutem
24. Federon, ad diff. de Anaxolis,
25. Broctes, de Pomponio historiae litterariae igae-  
rio. Federon
26. Rudolph, de cessione honorum.
27. Federon, diff. analytica prima, ad Pass. Gustin.
28. Gysler, de haereditate iudicialium possessoriorum  
Lacii
29. Gysler, De revocatione electionis.
30. Carmon, de remunerationibus principum erga mi-  
nistros, prae primis ad bene merita.
31. Xenemaan, de abusu, et quorundam opinionum  
communium, quae juris prudentiae praeiudicium con-  
spiciunt vanitatibus, pentas una.
32. Gysler, pietatem et ac iustitiam remedium circa  
inurias dei.
33. Krebs, de praefecto urbis romano.

27.

I. N. D!  
DISSERTATIO ANALYTICA,  
PRIMA  
AD  
INSTITUTIONES  
JUSTINIANEAS,

QUAM  
PRÆSIDE

HENRICO RUDOLPHO  
Medekern/ P.P.

In Auditorio Majori,

XXIX. Februarii,

*Publicè defendendam  
suscepit*

GEORGIUS GRÖNE,  
LUBEC.



ROSTOCHI,

*Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.*

Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c LX.

INSTITUTIONES  
PHYSICAE  
MEXICANA  
IN ANGLIA  
MDCCLXXIX  
GEORGIUS SEYMOUR  
LONDINI  
Rostock  
P. 100  
1779



I. N. D.

DISSERTATIO ANALYTICA

PRIMA.

Respond: GEORGIO Grönen / Lubecens.

Institutionum Proœmium.



Institutiones Juris, ab instituendo dictæ, sine ullo discrimine significationis etiam Instituta vocantur l. 3. §. 11. C. de V. J. E. quatenus præcepta denotant, quibus cupida legum Juventus eruditur ac Novi Justiniani instituntur. Unde definiuntur, Legitimæ scientiæ prima elementa

§. 4. Inst. Proœm. Dividunturq; in Proœmium & Tractatum ipsum. Proœ-

mium autem ideo necessarium esse videtur, quia mentem & intentionem disponentis, adeoq; causam finalem declarat l. 1. C. de imp. lucr. descr. Lib. X. Cassan. in Consuet. Burg. pr. nam præfationes lubentius nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt, & evidentiore præstant intellectum l. 1. de O. J.

Continet vero proœmium hoc I. Epigraphen seu inscriptionem titularem, & II. Ipsam operis constitutionem, quæ habet 4. Partes. I. Exordium, quod in Thesi & hypothesi Principis officium describit pr. §. 1. 2 & 3. II. Propositionem §. 4. III. Confirmationem à materia & forma desumptam §. 5. & 6. IV. Epilogum §. ult.

IN NOMINE. ] Religiosissimus fuit Imperator, unde (1.) Principium ac finem Legum ab invocatione divini numinis auspiciatur Nov. 6. pr. Nov. 17. Nov. 85. l. 2. C. de Off. Præf. Prætor. (2.) Fateatur se Imperium à Deo accepisse; Omne enim Imperium à Deo est, permissivè, formaliter & effectivè Nov. 73. in præfat. §. 1. l. C. de V. J. E. Rom. 13. Prov. 8. v. 15. inde Tac. 4. Ann. Principibus honorè Dii dederunt vid. Saved. Symb. Polit. 18. Quod etiam Christiani orbis & Imperii nostri principes de votâ laude ultro in suis Rescriptis fatentur. Nos

A Dei

Confes. Sietman  
Nicol. J. J. J.

Ratio in archip.  
Proœm.

2  
Dei gratia, Wlr von Gottes Gnaden. Recess. J. de An. 1442. pr. 1495. S.  
Chrouirdige. & passim. In Gallia tamen si quis Principum hac phrasi uti  
velit, læsæ Majestatis reus sit, nisi Delphinus sit, vel Episcopalis Ordinis,  
Limn. ad Capit. Car. V. p. 59. n. 44. Et verum est quod hoc Sym-  
bolum potiori Jure Summi quam Subalterni Principes, qui potesta-  
tem à superiori, cui etiam observantiam & obsequium debent, acce-  
ptam fuerunt, sibi tribuunt, Carpz. de Feud. D. 8. q. 4. Limn. de J. Publ.  
lib. 4. c. 6. n. 31. Licet in Germania omnibus Principibus commune sit.  
Ne autem quis de hac Dei gratia, propter Electionem, Successionem  
aut Occupationem dubiter vel impingat: Ipsa potestas distinguenda  
est, à modo acquirendi & habendi Limn. d. l. cum & alias titulus à re  
ipsa valde distet. t. d. A. R. D. Perperam autem hic D. D. quærun-  
t: An hæc invocatio pertineat ad formam Instrumenti. Siquidem & locus  
& materia huic quæstioni est inconueniens, ergo ad Tit. ff. de Fid.  
Inst. jure merito indiscussa relinquitur. Melius autem ad rem facit  
quando ex hisce & aliis argumentis colligimus, Justinianum fuisse  
Christianum, qui passim fatetur sibi à Divina providentia traditum esse  
Imperium l. i. C. de V. J. E.

EX. 18  
IMPERATOR. ] Dicitur à dignitate officij, non quidem tanquam  
Dux exercitus, ut olim quando stante Rep. Duces belli rebus prosperè  
gestis à militibus ita appellabantur arg. S. 3. J. de Jure Person. l. 4. S. 1.  
de Stat. Hom. Briss. b. v. Sed tanquam Princeps cui summum Jus Im-  
perii hoc nomen tribui videtur pr. proem. b. Suet. in Jul. Cæs. c. 76.  
Ita moderni nostri imperii Jure, Imperator est Persona habilis,  
vacante Imperio octo Electorum suffragiis ad Imperii re-  
gimen evecta.

CÆSAR. ] A successione, eo quod primus nominis forte ex u-  
tero matris fuit cæsus Ungep. E. 1. Q. 2. quæ tamen appellatio à Julio  
Cæsare, ad reliquos Principes primum dimanavit Lebnm. Chron. Spir.  
l. 1. c. 9. adeoq; & Imperatorem ipsum significat l. 3. de Off. Prasf. vig.  
l. 20. de Off. Prasf. l. 20. S. 6. de Hered. Pet. Unde hodie Kånser. Postea  
Cæsares appellari cœpere, qui ab Imperatoribus successores designa-  
bantur l. 7. C. de Malef. & Mathem. quales hodie in nostro Imperio di-  
cuntur Reges Romanorum Römische Könige/ in Gallia Delphini, in  
Svecia ac Dania Regii Principes, in Hispania Infantes.

FLA.

FLAVIUS.] Non dicitur talis à rubra barba, nec à devictis Flavis, sed à successione Flaviorum Familie, ex qua licet nova & obscura fuerit, primò Vespasianus prodiit, *Suet in Vespas.* Qui etiam huic nomini causam dedit. Ut ut alias Flavii nomen olim commune fuerit, l. i. C. de appar. Procons. lib. 12. l. 6. ff. de Usur. l. 6. §. ult. de Neg. gest.

JUSTINIANUS.] Non à Justitia, nec à Justino patre adoptivo, sed proprio nomine à Patre suo naturali armamentario nominatus est. Fuit autem hoc nomine Primus ex Panonia (quæ hodiè nomine ab Hunnis ceu antiquis inhabitatoribus deducto Hungaria dicitur) oriundus, quam felicissimam laudat Patriam, *Nov. h. §. cum igitur*, nam posterior fuit Constantini filius ex familia Heracliana c. 6. *distinct.* 16. Justinianus autem noster ab avunculo suo Iustino *Cal. April. Ao. C. 527.* in consortium Imperii adoptatus est, sed mox quarto mense sc. *Cal. August.* mortuo Iustino, solus regnare cepit. Sequuntur jam Epicheta à devictis gentibus desumpta, quibus ALEMATICUS, quod Germanos vicit. GOTHICUS quod per Narsetem Gothos ex Italia profugavit. FRANCICUS quod itidem Francos ceu tunc Sicambrios (Illorum enim Regionem Franci occuparant *Penc. l. 4. Chron. p. m. 465.*) per dictum Narsetem profligavit. GERMANICUS quatenus Romani Principes simulac quicquam in Germania præclare gesserunt, tales dicebantur. Ne autem sibi quis imaginetur tautologiam inde esse commissam, quod Germani Alemannis opponantur, videat *Lehnm. Chron. Spir. lib. 1. c. 9. & seqq.* ANICUS quoniam Antas, Histri fluminis accolas per Childibium repulit. ALANICUS, VANDALICUS, AFRICANUS, dum per Belisarium, Ducem de Principe suo bene meritum, quem oculis privasse signum est, Alanos & Vandalos, tanquam hostes animarum & corporum ex Italia & Africa ejecit, ac Regiones misere devastatas & contritas pristino nitore & antiquo domino restituit, l. 1. de Off. Præf. Præf. Afri. Reliqui tituli à consuetis acclamationibus ac felicissimis auguriis deducuntur. Pius n. appellatur non tantum ab Impiissimo alias Antonino Pio, à quo hoc nomen primum promanavit, *Nov. 78. c. 5.* sed à proprio pietatis æstro, quo omnem curam Imperii retulit; FELIX à prosperrimo voti & conatus successu & progressu. INCLYTUS] quasi gloriosus, propter res pacis et belli desperatas quidè, sed præclarissime gestas. VICTOR ac TRIUMPHATOR, post tot enim

A 2

præclara

4  
præclara bella, quibus ferocissimos populos domuit, ac provincias  
devastatas restituit, meritus est, cui Exercitus. Senatus ac Populus de-  
centi ornatu triumphum decerneret.

SEMPER AUGUSTUS. ] Augusti nomen primò Octavio à Se-  
nato est impositum, & ita boni ominis & augurii causa ad successores  
translatum. Amabili tamen errore dicitur etiam ab augendo quod re-  
spectu administrationis res sub nomine comprehenditur; salutem e-  
nim publicam tueri ac augere nulli magis quam Cæsari convenit. l. 3.  
ff. de Off. Præf. vig. quod & Germani optimo administrationis instinctu  
retinuerunt: *Uiget Mehrer des Reichs*. Et quamvis cap. 1. de Pac. Const.  
Imperator semper Augustus, Rex autem Romanus duntaxat Augustus  
dicatur, tamen in Germanicis Rescriptis ac Imperii Recessibus nun-  
quam talis differentia observatur, licet Jure Justiniano titulus Augu-  
sti, Cæsaris seu designatis haud tributus sit *Coras. ad Sc. Tholof. c. 19.*

CUPIDÆ LEGUM JUVENTUTI. ] Quemadmodum enim jura ci-  
vilia vigilantibus scripta sunt & profunt l. 24. ff. *quæ in fr. cred.* ita e-  
tiam cupidum discendi animum requirunt, quoniam is plurimum  
addiscere potest, qui discendo cupidus est. Nihil enim tam facile  
est, quin difficile illi fiat qui invitus agit & nihil tam difficile quod ala-  
cri studio non facilius sit. Cupido autem discendi cum fervidior  
sit in juvene quam sene, ideo non tam in his quam illis Imperator  
spem ponit, quia dociliores sunt juvenes quam senes l. 37. ff. de *Edil.  
Edict.* Interim cum secundum *Senec.* nihil stultius sit, quam si quæ  
diu non didiceris non velis discere, Juliani propositum senioribus  
calcar addit, qui addiscere voluit, etiam si alterum pedem in sepulcro  
habuerit, l. 20. de *fideicom. libert.* Et Servius Sulpitius, cujus laudes præ-  
ter Ciceronem, Pomponius in l. 2 §. 43. de O. J. celebrat, Zafius, Areting,  
Accursius & alii, serâ ætate animum ad legitimam prudentiam appule-  
lerunt & immortale eruditionis ac præcipuè legitimæ scientiæ enco-  
mium ad seram posteritatem transmiserunt *Harpr. h. n. 5.* Juventus  
autem in l. un. C. de *his qui ven. at.* (in qua quinque ætatis gradus recen-  
sentur: *Pueritia, adolescentia, firmata ætas, perfecta ætas & senectus.*)  
perfecta ætas dicitur, quæ ex mente *Gell. noct. att. l. 10. c. 28. 22. à 25.*  
ad 46.

ad 46. annum extenditur Speckb. cent. 1. q. 44. Sed Glossa in l. 68. ad  
L. Falc. quatuor aetates faciens, Juventutem à 25. ad 70. ann: nume-  
rat: Guev. aur. Epist. p. 2. Ep. 13. sex aetatis gradus facit & Juventu-  
tem ab anno 20. ad annum 50. producit. Consf. in l. precib. n. 19. C. de  
Imp. & al. subst. Meno: b. de A. J. Q. l. 2. cent. 1. cas. 57. cum eodem  
sex itidem gradus faciunt, sed Juventutem ab anno 25. ad 50. com-  
putant, Zach. Q. Q. Medico leg. l. 1. t. 1. q. 2. etiam septem gradus  
statuit. Interim sententiam d. l. un C. Th. suo modo approbare  
quidem possumus, licet hic non tam ex praefinito termino, quam  
ex intentione & capacitate discentium Imperator Juventutem  
determinarit, quoniam illos quos hic refert ad Juventutem, in §.  
3. J. de Legat. Studiosos Adolescentes nominat.

Pr.

*Arma & Leges sunt fundamenta constituen-  
tia & tam belli quam pacis tempore conservantia  
Majestatem.*

IMPERATORIAM MAJESTATEM ] Majestas est Jus summum &  
suprema potestas administrandi Rempublicam, quæ versatur circa illa  
capita quæ politicis dicuntur jura majestatis, jura imperii, sacra  
regni, jura sublimia, summa rerum, Kåyserliche und Kånigliche Re-  
servaten und Hoheiten Clapm. de Arc. Rer. l. 1. c. 10. adeoq; status regi-  
minis per horum regimen determinatur. Dicitur autem hic Im-  
peratoria, non per se, sed relative ad Statum Monarchicum, quem  
Justinianus moderabatur, unde etiam dicitur Principalis Maje-  
stas l. 7. ff. ad L. Jul. Maj. Alias nemo diffiteri poterit, tam in statu  
Politico ac Aristocratico, quam Monarchico Majestatem reperiri,  
quia Arist. 3. Pol. 6. & 4. Pol. 1. in omni Repub. requirit, & Kúρων &  
πολιτείας, cum Resp. nihil aliud sit, quam hujus potestatis Impe-  
rium Arnif. de Jur. Maj. c. 2. n. 1. Interim nec illo, nec subsequenti  
tempore Status Romanus desit Monarchicus, licet Imperantes  
imperii consortes asciverint, quemadmodum Valentinianus fra-  
trem Valentem, M. Autelius Antoninus Antoninum Verum;  
Opilius Macrinus filium Diadumenum; Diocletianus Maximia-  
num:

A 3

num:

num: Valentinianus Theodosium: Ludovicus V. Fredericum:  
Duo enim qui pro indiviso non distrahendæ potestatis, sed com-  
modioris utilitatis causa Rempub. administrant, Monarchiam in  
Aristocratiam non transformant *Arnif. l. 1. de Jur. Maj. c. 3. n. 1.*  
*Carpz. ad L. Reg. c. 13. f. 8.*

ARMIS DECORATAM.] Arma dicuntur non tam ab ar-  
 cendo, quàm ab armis seu humeris, quod vel ab illis dependeant,  
 vel eosdem regant, vel eorum adminiculo usum præbeant, *D. Ta-*  
*bor Armarum. Just. D. 1. Thes. 1.* Sumuntur autem I. Stricte à fine fa-  
cientis, quatenus per se ordinata sunt ad defensionem vel offensio-  
 nem, ita qui arma prohibet, fustes non intelligit, *Nov. 85. nec cul-*  
*tros l. 3 §. armis ff. de Vi & Vi arm. II. Latius à fine utentis*, ita &  
 fustes, lapides & cultri armorum nomine veniunt, non quidem per  
 se, sed respectu usus, *l. 41. d. V. S. l. 233. d. t. l. 3 §. 2. ff. de Vi armat.*  
*§. 7. Inst. de Interdict.* III. Metonymice pro quovis apparatu belli-  
 co Rempubl. concernente *pr. b.* Ita summa Reip. tutio à stirpe  
 duarum rerum provenit, nempe armorum atque legum, *Constit.*  
*summa: C. de Justin: Cod. conf.* hæc autem vocis acceptio ex prima  
 fluit, cum præcipuus armorum usus, in injuria publicæ & privatim  
 propulsanda consistat, *d. Nov. 85. c. 4.*

LEGIBUS ARMATAM.] Leges enim sine armorum auxilio in  
 vanum feruntur, unde dicuntur jura armari ultore gladio *l. 31. C.*  
*ad L. Jul. de Adult. & Justitia gladio pingitur*, quoniam Lex sine ex-  
 ecutione, est vana sine viribus ira. Inde etiam harmonica illa con-  
spiratio, inter hæc duo maximè elucescit; dum illud quod armo-  
 rum est tribuitur legibus, & quod legum est tribuitur armis, nam  
 propriè arma tuentur & leges exornant Rempublicam. Quoniam  
 autè hæc duo sunt veluti brachia Politix, quæ invicem mutuâ ope  
 se adjuvant & Remp: conservant, rectè hic & indissolubili prædi-  
 cati symbolo connectuntur. Neq; minorem utilitatem afferunt  
 Reipub. togati quam armati milites *l. 14. C. de Advoc. 1.* Neq; Prin-  
 ceptum tantum hostium iniquitates debet armis repellere, verum et-  
 iam ab intestinis malis, legum auxilio Remp. liberare & concordi-  
 am civium conservare. Inde ad Augustum *Horat: lib. 2. Ep. 1.*

*Cum tot sustineas ac tanta pericula solus  
 Res Italas armis tuteris, moribus ornes  
 Legibus emendes.*

UTRUMQ;

7  
UTRUMQ; TEMPUS. ] Duo enim secundum *Arist.* l. 1. *Pol.* 3  
sunt tempora Reip. alterum belli, alterum pacis. Tota enim vita  
divisa est in negotium & otium, bellumq; & pacem 7. *Pol.* 14. Ad-  
eoc; Hoc tempus præcipuè Nomothetica seu civilis scientia guber-  
nat ac disponit; Illud autem rei militaris prudentia. Bellum à  
duello olim dictum, vel quod minus sit bellum, est status per vim le-  
gitime certantium. *H. Grot.* de *J. P. & B.* l. 1. c. 1. Pax autem, est  
conventio publica de armis deponendis & omnibus actionibus hostilibus  
omittendis, l. 5. de *Pact.* *Brün.* de *Homag.* Th. 24.

PRINCEPS ROMANUS. ] Vox Principis in LL. absolute posita  
ipsum Imperatorem denotat l. 37. ff. de *LL.* l. 1. c. de *Constit.* Princ. a-  
lias etiam id quod primum est, *Tac.* 1. *A. 9.* ac authorem alicujus  
rei designat, l. 10. ff. de *serv. corr.* Hodie Status Imperii, qui infra  
Imperatorem sunt, hoc nomine significantur *Reinking.* l. 1. cl. 4. c. 8.  
n. 2. Principis autem officium in prudenti armorum & legum u-  
su duntaxat consistit *Nov.* 26. c. 1. armorum enim & legum auxilio  
Resp. Romana ex parvis principiis ad summum orbis tetarum  
fastigium excrevit *Novell.* 24. pr. neque dubium est, quin & alia Re-  
gna hodie sum ex eodem auxilio crescant. Dicitur autem Prin-  
ceps Romanus ex consuetudine temporis, postquam *Constanti-*  
*nus M.* Imperii Romani insignia, diviso Imperio in Orientale &  
Occidentale, in Thraciæ Urbem Constantinopolin (olim Byzanti-  
um) Novam Romam dictam transtulerat. Hodie quidem Impe-  
rium nostrum adhuc Romanum dicitur, non tamen propter Ro-  
mam novam quæ hodiè Turcico parer jugo, sed antiquam, quam  
Papa moderatur, adeoque ibi Roma esse intelligitur ubi Impera-  
tor est: Quoniam Imperium Romanum occidentale virtute *Caroli*  
*M.* ad Germanos est translatum *Carpz.* ad *L. Reg.* c. 1. sect. 15. *Rein-*  
*king;* de *Reg. Secul.* & *E.* l. 1. cl. 2. c. 2.

HOSTILIBUS PRÆLIIS. ] Intelligit hostes externos, quoniam re-  
belles hostium nomine indigni censentur l. 118. de *V. S.* adeoc; Sta-  
tim in principio bellum publicum superius definitum, à bello ci-  
vili separat. Est autem bellum civile triplex, I. Quando seditiosi  
cives inter se violenter collidunt, II. Quando seditiosi contra su-  
periores arma sumunt l. ult. de *re mil.* l. 3. ff. ad *L. Jul.* de *Vi publ.* III.  
Quando

Quando Princeps tyrannicè in suos subditos sævit. *Becht de secur. & salv. cond. Thes. 13.*

LEGITIMOS TRAMITES. ] i. e. Per Judicia secundum leges recte constituta *l. ult. pr. C. de Per. hered.* Siquidem non ex affectu sed ex legis præscripto malitia civium coercenda est. *Nov. 15. c. 1. §. 1. Nov. 82. c. 13.* Nisi quatenus religioni ac arbitrio Judicis, sæpe causæ decisio committenda est, *l. 13. ff. de Pæn.*

CALUMNIANTUM. ] Per Calumniantes hic non tantum illos qui falsa crimina intentant, *l. 2. ad SC. Turpil. t. t. de calumn.* sed & Sycophantas legumq; transgressores significamus. Nam calumniari omnem ingenii malitiam ac perversam Juris constitutioni interpretationem denotat, *l. 233. de V. S. l. 19. ad exhib. l. 110 §. fin. de R.* Et Magistratus non tantum adversus hostes externos, verum etiam adversus cives imperium ac jurisdictionem detrectantes armis instructus esse debet, *Aristot. lib. 7. Pol. 9. l. 68. de R. V. l. ult. C. de his qui latr. receps.*

RELIGIOSISSIMUS. ] Ita Papinianus Imperatorem Marcum appellat, *l. 67. §. ult. de Leg. 2.* Princeps enim d. l. propter arma dicitur providentissimus, propter leges religiosissimus *Gloss. d. l. inde minus religiosam rem facere videntur, qui contra Leges parentum concubinas uxores ducunt l. 4. C. de Nupt. ut ut proprie religio erga Deum sit l. 30. fam. herc. l. 21. de Usufr.*

MAGNIFICUS. ] Vox hæc tum ab exemplari Theophili, tum ab antiquis libris abest, *Hotom. h.* quia Præfectis Prætorio, Quæstoribus & Magistris militum tribuitur *l. 16. C. de test. mil. l. ult. C. ubi senat.* hic tamen nec elegantia loci, nec Imperatoris titulo inconueniens *Panciroi. Thes. var. lect. c. 2. lib. 1.*

§. I. Quorum:

*Officium boni Principis Imperator Justinianus absolvit, quando non tantum superando ac ejiciendo barbaros, hostilibus præliis victor ac triumphator extitit, sed etiam quando legibus partim promulgatis partim*

partim compositis Remp. Romanum exornavit. vid.  
l. 1. 2. C. de Off. Præs. Præs. Afric.

SUMMIS VIGILIIS ] Consiliis enim laboribusq; pro toto terrarum orbe, die noctuq; laborare Imperatorium est officium *l. ult. C. de quad. præscrip. & salutem Reipublicæ tueri & subjectorum commoda investigare, ut Imperii utilitas incorrupta subsistat, nulli magis quam Cæsari competit l. 3. de Off. Præs. Vig. 2. F. 55.*

PROVIDENTIA ] Vigiliæ referuntur ad leges, Providentia ad arma; Prudentia enim status consistit in memoria præteritorum, scientiâ præsentium & providentia futurorum *Gl. h.*

BARBARICÆ GENTES. ] Barbari dicuntur in Jure nostro qui Imperio Romano non parent, *l. 2. C. Quæ res ex port. l. 2. C. quæ res venir. non poss. inde Barbaricum pro Barbarorum solum, l. 2. C. de commerc. l. fin. C. de Eun: Briffon. h. v. quo respicit Ovid. 1. de Pont. 4.*

*Quid melius Roma, Scyrico quid frigore pejus  
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.*

per Barbaros autem hic intelligit Vandalos, Hunnos, Gothos ac Persas, qui Italiam, Asiam, Syriam ac Siciliam barbaricè invaserant, quosque feliciter superavit, *Hotom. h. Barbaris autem opponuntur devoti, quales sunt ii qui Imperio Romano subiecti sunt, Gl. ad d. l. 2. C. de commerc. junct. Rubr. C. Quand. lic. unicuiq;.*

AFRICA ] De hac victoria quam restituta Africa, à Vandalis (qui animarum & corporum simul hostes erant) per XCV. annos captivata, Justinianus obtinuit, uberrime Procopius disserit, ac sæpe gloriatur ipse Justinianus *l. 1. C. de Præs. Præs. Afric. & l. 2. C. de V. J. E.*

INNUMERÆ PROVINCIÆ ] Id est, plurimæ *Harp. h* vel quod re-  
ctius numerosæ *arg. l. 1. C. in quib. caus. in integ.* Provinciæ q. pro-  
cul victæ, erant regiones extra Italiam Imperio parentes, quæ par-  
tim erant Populi Rom. partim Cæsaris, inde Præsides ac Procon-  
sules Provinciarum. *Hotom. in comm. Verb. Jur. & usu juris non qui ex illis orti erant, sed qui præsentis actu in illis domicilium habebant dicebantur Provinciales, scilicet relative ad locum, qui à Romanis erat acquisitus l. 190. de V. S. ubi Frantz. & Rebuff. l. 4. 7. ff. de Offic. Procons.*

B

PROTE-

PROTESTANTUR. ] Id est testantur ac probant, aliàs protestari significat Jus sibi conservare, *l. 14. §. 8. de R. & S. F. l. 35. ff. de N. G.*

OMNES POPULI. ] Est Synecdoche totius pro parte, licet enim Imperator Antoninus, *l. 9. ad L. Rhod. de Jact.* Se dicat mundi Dominum, tamen ad Ditionem & Imperium Romanum hoc enunciatum est restringendum, quoniam nunquam totus orbis Imperio Romano subiectus fuit, nec Scytia vel Sarmatia, ut alias regiones, imò totam Americam & Insulas Septentrionales, taceam iidem paruit. *Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. n. 52. Hug. Groi. de J. P. & B. l. 2. c. 22. n. 13.*

PROMULGATIS. ] Justinianus promulgavit suas & composuit alienas leges *Cujac. b. Promulgantur enim leges cum publicantur, Componuntur cum in ordinem rediguntur Pac. in Anal. b.*

§. 2. Et cum

*Justinianus primò Constitutiones ac Rescripta Principum vaga ac dispersa, deinde de Jus Civile, hoc est, veteris Jurisprudencia volumina in ordinem rededit, dum ex illis Codicem, ex his Pandectas confici curavit.*

SACRATISSIMAS CONSTITUTIONES. ] Leges dicuntur Sacratissimæ *l. 9. C. de LL. & Princeps dicitur sacratissimus l. 9. ff. ad SC. Tertyll.* Inde etiam Constitutiones, seu Leges Principum dicuntur sacratissimæ. Per Constitutiones autè propriè denotantur Rescripta Principum *b. Et. r. ff. & C. de Constit. Prins. Junge §. 6. de J. N. G. & Civ.* Meritò autem LL. Romanorum dicuntur sacratissimæ: Quia DEUS pro singulari sua providentia erexit gentem romanam, ut per eam tam justas & sanctas LL. daret orbi terrarum, quales à nullo aliàs Populo vel Rege datæ sunt. Leges enim Romanorum divinitus per ora Principum emanarunt *c. quo jure dist. 8. c. nemo 16. q. 3.* Et ut ratio naturalis omnibus imperant gentibus

bus *Aug. lib. 5. de Civ. Dei c. 12. Cont. lect. Jur. c. 9.* Nam omnes alix  
Gentes ad illas recurrunt, unde Commune Jus dicuntur *Carol. Mo-  
lin ad Consu. Paris. Tit. de sefs n. 110.* Adeoq; DEUS per impro-  
bissimos & in Christianos sæpe savissimos & crudelissimos Impe-  
ratores, qui belluæ erant humana specie & colore duntaxat imbuti  
justissimas terrarum orbi præscripsit Leges, quales fuerunt Nero,  
Domitianus, Heliogabalus, Caracalla, Valens, Diocletianus, Ju-  
lianus, & alii. *Vid. Artb. Duck. de Auth. Jur. Civil. l. 1. c. 2. & 3.*

CONFUSAS.] Confusæ dicebantur anteriores Constitutiones  
tum quod non erant in legitimum ordinem redactæ, tum quod sine  
autoritate partim erant compositæ: Ab Augusto enim ad Justini-  
annum per 500. annos, & quod excurrit, in immensum excreverunt  
Constitutiones. Quas scilicet ab Habriano Imperatore ad Constanti-  
num M. usque, primo duo privati homines, ut Gregorius & Her-  
mogenes, in duos Codices qui Gregorianus & Hermogenianus  
dicti sunt, congesserunt. Deinde Theodosius II. Imperator se-  
culo V. à Constantino ad sua tempora Principum constitutio-  
nes in Codicem à suo nomine Theodosium dictum collegit *Artb.  
Duck. de Auth. Jur. Civ. l. 1. c. 3. n. 8.* quorum hic totus, illorum au-  
tem fragmenta, opera Cujacii Anno 1586. edita, passim sunt obvia,  
& potius ad cognitionem antiquitatis, quam ad decisionem veri-  
tatis necessaria *Sand. lib. 2. Decis. Fris. t. 1. def. 4.*

EREXIMUS CONSONANTIAM.] Ex his tribus codicibus Gre-  
goriano Hermogeniano & Theodosiano, & quæ forte extravagantes  
repertæ sunt Constitutiones, Justinianus Anno Imperii sui se-  
cundo, sc. Anno Christi 528. idibus Febr. Codicem Justinianum fi-  
eri mandavit, & eundem Anno subsequenti 529. Idibus April. edidit.  
De quo Codice duæ sunt Constitutiones lectu dignæ, quarum una  
*de novo Cod. faciendo*, altera *de Justiniano Cod. confirmando*: Hic a.  
notandum hunc Codicem Justinianum, quidem ante Pandectas  
editum, sed post Pandectas in totum iterum abolitum, quatenus ex  
emergenti dum Pandectæ compilarentur, Justinianus Anno 534.  
15. Nov. qui erat Imperii 8. novum Codicem quem repetitæ præle-  
ctionis dixit, edidit, qui 29. Decemb. ejusdem anni auctoritatem  
accepit, quo hodie utimur.

AD IMMENSA. ] Immenſum 1. denotat quantitatem illegitimam, l. 2. § 3. C. de inoff. donat. 2. Indefinitam. l. 25. ff. de S. P. U. 3. Confuſam multitudinem, utut certa quantitate finitam, ita hic ſumitur: quoniam antiqua illa volumina erant numerata, erant enim duo millia librorum, verſuum autem, plus quam tricies centena millia, l. 2. § 1. Verſi: Sed cum: C. de V. J. E. Ex quibus Pandectæ ſunt compilatæ.

VETERIS-PRUDENTIÆ ] Vetus autem Prudentia ex qua Pandectæ ſunt compilatæ, hic opponitur Conſtitutionibus Principum adeoque Jus receptum, Juri conſtituto: Vocatur alias vetus Jus 1. 1. C. de V. J. E. antiquum Jus arg. Rubr. de R. J: quoniam eſt antiquius Conſtitutionibus, adeoque non tam voluntate conſtitutum, quam recepta ratione approbatum ac receptum; dicitur etiam media Jurisprudencia §. ceterum J. de leg. agn. ſucc. quod Legibus 12. tt. & Conſtitutionibus eſſet interjecta.

DESPERATUM ] Quia ſupra fidem humanam videbatur, ex tot antiquarum legum voluminibus artiſcioſam colligere præceptorum compagem, de quo Pompejus Magnus ac Cæſar fruſtra fuere ſolliciti; nam Ille matura morte, Hic obrectatorum metu impeditus eſt Lindem. H. J. 1b. 278. adeoque per medium profundum ſe iſſe dicit, hoc eſt, per Oceanum, cui comparat veterem Jurisprudenciam, cujus neque latitudinem neque altitudinem, nec fundum nec finem metiri potuit: Neque etiam poſt tot ſecula ac tot magiſtratuum periodos, legumve mutationes, aliter evenire potuit.

ADIMPLEVIMUS ] Intelligit hic Pandectas ſeu Digelta: Pandectas autem ex veteri Prudentia compilari mandavit Oreſte & Lampadio Coſs. 18. Cal. Jan: h. e. 15. Decemb. Anno 530. eaſque edidit 17. Cal. Jan. ſeu 16. Xbr. Anno 533 & cum Inſtitutionibus ſimul valere juſſit 3. Cal. Jan: id eſt 30. Xbr. indictionis duodecimæ, l. 2. §. 23. C. de V. J. E. quæ incidit in eundem annum 533 Quoniam indictiones non à novo anno, ſed ab 8. Cal. Septembr. hoc eſt 25. Aug. incipiunt. Reduxit autem Imperator duo millia librorum ad quinquaginta, & tricies centena millia verſuum, ad quindecim Myriades l. 3. §. 1. C. de V. J. E. h. e. centum & quinquaginta millia ver-

14  
lia versuum l. 2. §. 1. v. quod caelestis C. de V. J. E. Unde hodie dicitur jus enucleatum t. 1. C. de V. J. E. arg. l. 4. vers. tum etiam: C. de Lib. Prat. Per Versus autem denotamus integram sententiam seu periodum, inde LL. XII. tab. versus dicebantur Buda in l. 2, de O. J. Duarenus verò Paragraphos putat l. 2. D. c. 6. Continus Lineas l. 1. lect. subc. c. 8. intelligit. Versus autem à vertendo dicuntur quia prisca in verso ordine, adeoq; Hebraeorum more scribebant Lindem. Hist. Jur. rb. 306.

§. Cumq; hoc 3.

*Justinianus Codice ac Pandectis compositis nec tamen promulgatis, negotium conficiendarum Institutionum Triboniano Theophilo ac Dorotheo commisit.*

PERACTUM ] Perfectæ quidem tum erant Pandectæ, quoniam sapius Justinianus se ad latiora Pandectarum volumina refert arg. §. 11. de Nupt. nondum tamen editæ vel promulgatæ. Verisimile enim est, quod Justinianus An. 529. & ita anno secundo ex quo Pandectas componi jusfit, Triboniano compilationem Institutionum injunxerit, quas tamen prius edidit sc. XI. Kal. Decembr. vel 21. Novemb. ut ut ex eodem die valere jusserit, jung. §. preced.

TRIBONIANO ] Fuit hic, cujus optimo sinceritatis ministerio ac vigilantissimi animi gubernatione omnis res celebrata est l. 1. §. 3. l. 2. pr. §. 9. 11. C. de V. J. E. cui etiam per calumniam imputatur, quod avaro & temerario ausu leges novas fixerit ac refixerit, simulq; antiquas pro lubitu trunxerit, adeoq; conspurcatam Jurisprudentiam reliquerit Mast de Just. LL. Rom. dub. 1. In eo tamen reprehendi potest Tribonianus, quod cum in compilandis Pandectis Imperator ipsi decennium indulisset. l. 2. §. 12. C. de V. J. E. Triennio cum sociis suis, adeoq; festinanter satis, hoc desperatum opus absolverit.

MAGISTRO ] Magistri inde dicuntur, quod magis præsent quam alii, unde etiam ipsi Magistratus deo nominati sunt. l. 57. de  
B 3  
V. S.

*V. S.* quia Magistratus ipsum Magistri officium esse videtur. Magistri a. vel rerum privatarum constituuntur *l. 14. de Pact. l. 1. § 1. ff. de Exero. act. §. 2. J. quod cum eo qui, vel rerum publicarum*; Et ita non tantum liberalium disciplinarum Præceptores Magistri dicuntur, *l. 7. C. de Profess. & Med. t. t. x. de Magistr.* quique Magisteria dignitate legitime sunt ornati *c. 1. 2. X. de Magist.* sed etiam præpositi officiorum publicorum, h. e. qui præerant scholis & fabricis *l. 2. C. de Priv. schol. vid. Briss. de V. S. voce: Magister*; eodem sensu Tribonianus Magister dicitur, erat enim Magister Officiorum quatenus præerat officialibus palatii ac aulae *t. t. C. de Off. Mag. Off. junct. l. 2. pr. C. de V. J. E. cui hodie respondet Aulae Marschallus.*

EX QVÆSTORE ] Qvæstores à qværendo dicti, tempore Regum & postea in statu Romanorum populari, *Alij pecuniæ publicæ, Alij qvæstionibus capitalibus præerant, l. 2. §. 22. & 23. ff. de O. J.* Postea autem in statu Monarchico, Decreta Principum ac Sæcra ipsis aservanda tradita sunt, qui etiam legendis libris Principalibus in Senatu vacabant & Candidati Principis, Qvæstores Principis sive Augusti appellabantur, quorum munus expressit Ulpian. *l. un. ff. de Off. Qvæst.* illorum nomen hodie in Cancellarium mutatum videtur. *Lips. de Mag. Rom. c. 16.* Dicitur autem Cancellarius, quod intra Cancellos undiq; perspicuus steterit, quique duntaxat fuit Actuarius seu Tabellio *l. 1. C. de Ass. Horom. b. V.* Cujus olim fidei fuerant Consistorii Principis secreta commissa, & per quem ad Principis aures desideria supplicum perferebantur *l. 5. 8. C. d. 1. l. 1. §. 8. C. de Off. Prof. Præf. Afr.* quales hodie dicuntur Secretarii. *Queritur autem:* An ideo Tribonianus, qui *§. ult. de Libert.* qvæstor appellatur, hic ex qvæstor dicatur, quod tempore compositionis talis fuerit, tempore editionis autem talis deserit. Quod negat *Alciat. lib. 4. Dispun. c. 3. & Budæus*, qui putat Tribonianum in adepta dignitate ad mortem permanisse, adeoque particulam *Ex* non semper esse privationis. Affirmant autem idem rectius *Pac. & Balduin. b.* licet enim Qvæstorius manserit, tamen non mansit Qvæstor. Quoniam autem Magister aulae, hic præponitur Qvæstori: Non inde tamen concludendam hunc esse ordinem dignitatis: Siquidem hodie Cancellarium præcedere Magistrum

Magistrum aulae, seu Marscallum non est in ducio, tum propter leg 7. C. de prox. sac. scrip. lib. 12. tum propter O. P. de Anno 1330. tit. v. **und** **so** **einer** tum quia Archi-Cancellarius Imperii praecedit Archi-Marschallum A. B. tit. 4. tum quia mores gentium idem approbant. Bodin. lib. 3. de Rep. c. 6. n. 323. Thom. Schmit. de Rep. Angl. 2. c. 2. Luc. de Penn. in l. 13. C. de suscept. prep. & arc.

EXCONSULE ] Consules à consulendo dicti, post electos Reges primum constituti sunt, ut Reip. consulerent, vel ad Senatum referrent, ut ejus sententiam rogarent. l. 2. §. 16. ff. de O. J. quorum potestas pro diversitate Reip. diversa fuit, ita ut nec Imperatores designati sunt consulatum gerere, licet sub Caesarib. dignitas consularis valde evilerit, Nov. 105. pr. Lips. de Mag. Pop. Rom. c. 7, 8, 9. dicitur autem Tribonianus Exconsul eodem respectu quo Exqvastor, quoniam consulatu functus erat: adeoque Consularis fuit eo tempore quando Instit: sunt promulgatae.

ILLUSTRIBUS ] Est Titulus dignitatis l. 60, 61. C. de Decur. L. X. qui ceteros omnes antecedit. l. ult. C. de Sport. Nov. 23. Fuerunt autem tempore Augusti duo dignitatis tituli, Illustris & Clarissimus. Tempore autem Constantini tertius ordo seu medius Spectabilium insertus est. Guid. Pancir. l. 1. var. lect: c. 3.

ANTECESSORIBUS ] Antecessor Successori opponitur l. 55. de Judic. l. 9. ff. de reb. eor. qui. Hic a. Professores legitimae scientiae dicuntur, quasi qui praecundo ac docendo deducere discipulum in Juris penetralia debent vid. l. un. C. de Prof. qui in urb. constant. Ita Theophilus & Cratinus fuerunt Professores in Academia Constantino-politana; Dorotheus & Anatolius in Academia Berytensium Metro-poli. l. 3. §. 8. C. de V. J. E. Alibi enim non fuit permissum, jura interpretari, quam in utraq; Romae antiqua & nova & in Berytensium metropoli, & hoc sub poena denarum librarum auri, & rejectione à civitate in qua renitentes committunt in leges: Ne imperiti homines divagentur, & discipulis adulterinam doctrinam tradant Constit: de Jur: doc. rat: §. 7.

QUORUM OMNIUM ] Hisce officium boni ac inculpati Consiliarii describitur, quod in tribus consistit Solertia, Scientia & Fide.

Novit

novit enim optimus Imperator, non mediocris esse temeritatis, suoduntaxat iudicio cuncta Reip. munia administrare: Novit idem summæ etiam imprudentiæ notam esse, promiscue ex aliorum duntaxat arbitrio quemvis ad consultandum vel interiora status admittere, antequam solertia scientia ac fides ejus ex multis & probatis rerum argumentis innotuerit: ipse videat & cognoscat Princeps, quos suorum arcanorum arbitros esse cupit, nec alius tuto credat.

MANDAVIMUS SPECIALITER ] Hoc est, expresse ac speciatim, in causis enim arduis, Reipublicæ & subditorum salutem concernentibus, non tantum utile, sed & necessarium est speciale mandatum *arg. l. 25. §. ult. de Procur.*

LEGUM CONABULA ] Ita etiam vocantur §. 3. ] *de legat.* Quæ Metaphora non est infrequens in libris juris §. 3. *de libert. §. 12. de Fideic. Hered. l. un. ff. de Off. Praef. Pret. l. 2. §. 38. de O. J.* quoniam enim Jus civile ad immensa Commentatorum volumina excrevit, tandem ad sua principia fuit reducendum.

ANTIQVIS FABULIS ] Hoc est, incertis & sine autoritate falsis Institutionibus & opinionibus *arg. l. 3. Si pars hered. pet.* non enim hic intelligit veteres agendi aut emancipandi, sed potius jura addiscendi formulas & autores *d. Const. de Jur. doc. m. §. 7.*

NIHIL INUTILE, NIHILOVE PERPERAM. ] Scilicet ex sua intentione, cum autem immensa fuerint veteris prudentiæ volumina, divinitatis potius quam mortalitatis fuisset in nullo errasse, nec vel simile aut superfluum posuisse, *l. 2. §. 14. C. de V. J. E.* vix enim tam religiosi juris assertores esse possumus, qui nihil inutile nihilve perperam in toto corpore juris positum esse statuamus, *arg. l. 3. §. 13. C. d. l.*

ARGUMENTIS ] Illa enim in primis discenda sunt, quæ usui esse possunt & exercentur, quoniam stultus labor est ineptiarum, & ea duntaxat in suis legibus Imperator esse voluit, quæ re ipsa obtinent *l. un. C. de dedit. lib. toll.* Unde Ulpianus dicit, se veram & non simulatam profiteri Philosophiam *l. 1. §. 1. de J. & J.* Hæc autem est ipsa Jurisprudencia, quæ non tam in scientia quam actione consistit & communi utilitati inservit *Vacon. à Vacun. l. 1. c. 31.* Unde Sophisticas & umbratiles dissertationes Cynicis relinquimus, & illis qui inani

intentionis veteris prudentiæ  
Legislatoris auctoritate  
confirmati sunt  
etiam illi qui pro sua  
nomen & auctoritate promissarum

vacare de his libris  
si peritiam?

inani otio abundant, & frigidis argutiis student, quique nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promovent. In quibus illi confitefcunt, quos Philosophos esse vulgus putat, ut graviter differit *Gell. N. A. l. 10. c. 22. & Valent. Imp. l. 8. C. de Prof. & Med.*

**QVADRIENNIVM** ] Novam Methodum docendi ac discendi Jura, Imperator *d. Const.* instituit, & studio juris quinquennium praefixit. Ut secundum progressus studiorum, Studiosi juris *primo Anno* eo quod Institutiones Justinianicas legunt Novi Justiniani dicantur, expulso frivolo & ridiculo dupondiorum nomine. *Secundo* Edictales ex Edicto *d. const. §. 3.* *Tertio* Papinianista ut subtilissimi Papiniani leges legendo ejus memoriam in aeternum celebrent *d. const. §. 4.* *Quarto* Lytae, quatenus titulos residuos partis quartae & partem quintam ff. debent legere *Quinto* Prolytae quod Codicem non tam debeant legere, sed etiam intelligere *d. const. §. 5.* *Quaeritur autem:* Quo anno Studiosi Juris ex hac Methodo discere debeant sextam & septimam ff. partem: *Resp.* Creditur Imperator absolutis prioribus, in his sine interprete Studiosum juris posse progredi. Interim hodie haec Methodus non observatur: Sed pro capacitate & aliis circumstantiis Studiosi modo restrictior terminus sufficit, modo longior desideratur. Multo minus in Thesicis cum *Lindem: H. J. n. 346.* Septennium exigimus.

§. Igitur 4.

*Institutiones in quatuor libros partita, sunt totius juris prudentiae prima elementa.*

**COLLECTUM** ] Veteres *Collatum:* Jus enim omne Prudentium Romanorum, qui apud omnes probati & recepti fuerunt, & prioribus Imperatoribus placuerunt, & qui ab his nominari meruerunt in Pandectarum libros collatum est *l. 3. §. 20. C. de V. J. E.*

**COETEROS VIROS** ] Compilationi enim ffortum Imperator sedecim praefecit viros. *l. 3. §. 9. C. de V. J. E.* Codicis  
C Justit

Justiniani X. *Const. de nov. cod. fac. §. 1. Repetitæ prædictionis V. Const. de Emend. Cod. §. 2 & Institutionum tres.*

ELEMENTA ] Hoc est, argumenta & fundamenta, quibus Juvenes suffulti, possint graviora & perfectiora legum scita sustentare l. 2. §. 11. C. de V. J. E.

§. In quibus s.

*In Institutionibus non tantum continetur Jus novum, sed etiam renovatum, & antiquum.*

QVOD ANTEA ] In Institutionibus continetur Jus, Tum quod olim obtinuit & in desuetudine abiit, quatenus ad novi juris intellectum conducit l. 1. §. 9. C. de V. J. E. Tum quod desuetudine adumbratum iterum illuminatum est, quoniam Imperatori curæ fuit leges neglectas reparare, Nov. 1. §. 1. *vers. sed quoniam.* Tum etiam quod noviter constitutum est, arg. §. 1. J. de Testam. l. 2. §. 11. l. 3. §. 11. C. de V. J. E. l. ult. §. 13. C. de Jure delib. Dn. Tab. de Pref. Debit. part. 1. art. 3. Interim constitutiones illæ quæ vel jus incertum continebant, vel abrogatæ sunt, Imperator in causarum decisionibus exulare jussit §. 10. *Inst. de testam. l. un. C. de nud. Jur. Quir. toll. aded,* ut si quis eas in Judiciis allegaverit, vel si quis ex eis judicaverit, falsi reus erit, & publicorum criminum judicatus, & pœnæ addictus l. 3. §. 19. C. de V. J. E. Universum autem Jus Romanum hodie quatuor voluminibus absolvitur: Institutionibus, Pandectis, Codice & Novellis.

§. Quas ex. 6.

*Justinianus Institutiones ex antiqua jurisprudentia collectas, sibiq; oblatas legit, recognovit, & Constitutionum suarum auctoritatem istis tribuit, d. l. 2. §. 11. l. 3. §. 11. C. de V. J. E.*

ANTIQUORUM ] Multi enim veteres olim scripserunt Institutiones, ut Julianus, Ulpianus, Paulus, Calistratus, Florentinus, Martianus, quos prudentes & arbitros æquitatis laudat, *Lactant. l. 1. divin. Inst.*

CAJF

CAY NOSTRI.] Multi fuerunt hoc nomine JC. unde difficile est conjicere quem hic & §. 5. *Infr. de Publ. Jud.* intelligat. Verisimile tamen est illum, fuisse qui tempore Hadriani floruit, *l. 7 ff. de Reb. Dub.* Quo forte recentior est is, quem Pomponius, qui sub Caracalla vixit, suum vocat, *l. pen. de Stipul. serv.* nisi particula *noster*, ideo addita sit, quia ejusdem Institutiones & doctrinam, uterq; & Imperator & Ictus Pomponius approbarit.

LEGIMUS ET RECOGNOVIMUS.] *d. l. 2. §. 11. d. l. 3. §. 11. C. de V. 7. E.* Recognoscere enim est attente & diligenter legere: Justinianus autem hasce Institutiones non tantum legit ac recognovit, sed etiam consideravit & perpendit, suisq; sensibus non indignas & recte se habentes judicavit *d. l. 3. §. 11.* Unde temerario ausu *Valla l. 6. c. 36. Bodin. de Rep. c. 3. n. 17. Revard. l. 4. Var. c. 10. ex Suida, & Alij,* Justinianum stupidum & literarum ignarum dixerunt, quos præter hoc quod Sacrilegium sit de Principis persona sinistre judicare, *b. §. 6. & dd. ll. solide* refutant; nunquam n. Imperator ignarus, tale desperatum opus aggressus fuisset, neq; de se ipso tam evidens mendacium promulgasset. *Mastert. de Justit. Leg. Rom. dub. 2.*

§. Summa 7.

*Premium studii est, quod Imperator jurisprudentibus. Remp. pro partibus gubernandam promittit, ut bonæ indolis juventutem ad gloriam magnarum rerum exitet.*

ALACRI STUDIO.] Eruditis enim debet Princeps gubernacula Reipub: committere, ne probos & eruditos spes promotionis fallat, neve imperitus rerum, aliorum ope indigens duplici damno afficiat Rempub. Ex legum enim doctrina optimi fiunt justitiæ ac Reipub: ministri, quos decus in omne seculum sequitur *d. Constit. de Jur. doc. inc. §. ult.*

C 2

Vos]

Vos.] Rectius forte legit *Nos* *Hotom: h.*

OSTENDITE] Hoc est probate & docete *Briff. b. v.* quoniam omne artificium, non tantum quotidiano usu maximum sumit incrementum, *l. 65. §. 3 de Leg. 3 l. 15. C. de re milit. sed & discipuli omnibus perfectis, Oratores maximi & Justitiæ Satellites, & judiciorum tam optimi Athletæ, quam gubernatores in omni loco ævoq; felices inveniuntur, d. Const. §. 6.*

PARTIBUS] Quoniam totius Imperii administratio ad Principem ipsum pertinet. *Nov. 1. pr.* Partem autem oneris fidelibus & amicis merito committit, qui ideo etiam dicuntur pars corporis ejus, quatenus Princeps est Reip. caput, *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.*

D. CP. XI. KAL. DECEMB. D. JUSTINIANO PP. A. III. CONS.] Hoc est Data Constantinopoli, 21. Novembr. *DD: Justiniano perpetuo Augusto, tertium Consule. Romani enim tempora per annos Imperii & Consules notabant, Nov. 41. c. 1.*

CONNEXIO] Absoluto Proæmio Imperator ad Tractatum ipsum, & secundum methodum Analyticam in disciplinis practicis observandam, à fine intensive ad media executive progreditur adeoq; *in Tit. 1. & 2. agit de causa juris Externa b. e. finali & efficiente: In reliquis de Materiali, b. e. personis & rebus, & Formali, scil. actionibus.*

### TIT. I. DE JUSTITIA ET JURE.

AD RUBR.] Justitia respectu ordinis prior est jure, & hoc ab illa appellatum, quando Jus sumitur pro arte libris comprehensa, ut hic. Fuit n. Justitia antequam Leges essent in artemiceu methodicam præceptorum consonantiam redactæ *l. 1. ff. b.* Justitia autem quatenus ultimus finis juris est, dividitur in Universalem & Particularē *Arist. l. 5. Eth. c. 1.* Illa definitur: *Habitus animi quo homines idonei sunt ad agendum ea que secundum omnes virtutes justa sunt eademq; agunt & volunt.* Hæc definitur *pr. b. & l. 10. ff. eod.*

Jus.] Jus quidem varias admittit significationes, *l. pen. & ult. ff. b. c.* ut tamen hujus & sequentis tituli explicationi interserviat, dupli-

dupliciter duntaxat sumitur Adeoque in hac Rubr. denotat ipsam juris artem, unde dicuntur Institutiones Juris l. 3. §. 14. C. de V. J. Et Corpus Juris l. un. C. de R. U. A. Studium juris l. 1. §. 2. b. & definitur Ars æqui & boni: Et qui hujus artis notitiam profitentur dicuntur Sacerdotes juris l. 1. b. Et Juris Consulti, qui profitentur, Respondent, & interpretantur jura Cuj: in π. ff. h. t. Quoniam autem finis juris non est scire, sed agere, inde juris prudentes l. 2. §. 5. de O. I. & prudentissimi l. 11. C. de Quest. dicuntur: In Tit. autem sequenti Jus denotat præceptum superioris & definitur: Constitutio natura vel civitatis jubens quæ recta sunt, prohibensve contraria l. 9. h. & in hac significatione Justitia dicitur à jure, & hoc illa prior est, quoniam ex actu, regulæ justii convenienti, justitia determinatur; necesse enim est ante justitiam leges fuisse. Justum in hac significatione à lege differt, tanquam præceptum à præcipiente: Lex enim est præcipiens, & jus quod ex lege oritur præceptum Sub: D. 1. Thes. 41.

Connexio §. §. Hoc tit. agr. de sine juris, qui vel est ultimus pr. vel inter medius qui consideratur generaliter §. 1. specialiter tum ratione ordinis cognoscendi §. 2. tum ratione divisionis, Præceptorum §. 3. Positionum seu partium §. 4.

Princip:

*Finis ultimus Juris est Iustitia, quæ suum cuique tribuit.*

In definitione Justitiæ, tria veniunt consideranda; 1. Definitum. 2. Genus. 3. Differentia. Definitum hic non denotat Justitiam Universalem sed Particularem. Licet enim ILLA totius juris finis sit, quam Legislator in condendis & Magistratus in custodiendis Legibus observare debet, ut boni cives metu pænarum, & exhortatione præmiorum efficiantur l. 1. §. 1 ff. b. 1. Nov. 69. ita Urbanitas præcipitur l. 3. de serv. corr. Verecundia l. 1. §. 5. de Postul. Gravitas l. 2. §. 31. de O. J. Sobrietas l. fin. de alim. leg. Honestas l. 144. 197. de R. J. tamen ex differentia specifica pater, HANC ab Ulpi: hic

hic definitam esse, quoniam principaliter circa eam jus nostrum versatur *Habn. ad W. de J. & J. n. 10. verb. Tribuens.* Neq; etiam hic definitur justitia Divina aut Dea, sed humana ad quam actus morales diriguntur *Nov 30. c. 9 §. 1.* Quia 1. est finis jurisprudentiæ cuius objectum principale sunt negotia Civilia 2. quia prædicatum hujus definiti non competit justitiæ divinæ 3. quia Ulpianus Ethnicus fuit, qui divinæ justitiæ nullam habuit notitiam.

CONSTANS ET PERPETUA VOLUNTAS. ] Hoc genus licet sit metonymicum, dum subiectum ponitur pro adjuncto, tamen rem satis declarat. Idem enim est ac habitus moralis ita instructa & confirmata, ut quod alterius est, idem ei constanter ac perpetuo quando opus est tribuat. Hæc autem constantia voluntatis non secundum conditionem humanam concrete, sed secundum suam essentiam abstractive, ut in omnibus aliis virtutibus est intelligenda, *Diss. Habn. ad Wesl. de J. & J. d. n. 10.*

JUS SUUM CUIQUE. ] In his verbis differentia posita est, ex qua non tantum confusa communio Platonica refellitur, sed & justitiæ particularis natura describitur, multi enim sunt actus justitiæ Universalis, quibus alteri jus suum non tribuitur. Jus suum autem hic significat omne illud quod alicui quovis modo deberi potest, sive sit ex jure in re, sive ad rem: postquam enim rerum dominia sunt distincta, meorum & tuorum appellatione id omne venit quod vel jure domini vel obligationis alicujus est *l. 7. 73. de leg. 3. l. 91. de V. S. l. 14. §. fin. l. 30. §. 1. ad SC. Trebell.*

TRIBUENDI ] Rectius quam tribuens, quia justus non semper actu tribuit, sed tunc demum quando datur occasio: Neq; ipse habitus tribuit, sed homo habitu præditus *Harpr. b. n. 58.* Tribuere autem idem est ac dare seu concedere *l. 60. de Usufruct. l. 20. ff. ex quib. caus. maj.* Jus enim suum cuiq; debet tribui secundum leges, ita ut non distrahatur ab ullius personæ justiore petitione *l. 31. ff. de pos.* Unde proportionem Arithmeticam & Geometricam, in jure nullum usum habere, sed figmentum otiosorum Scholasticorum esse, certo nobis persuademus.

Quando

Quando autem ita Justitia jus suum tribuit, ut nullius vide-  
 ri possit justior petitio, ab hac definitione i. excludimus Jus Rusti-  
 cum der *Savren-scheid*/ quando lis ex arbitrio terminatur, licet  
 saepe ad illud sit recurrendum *l. 23. de Condit. Inst.* talis enim acci-  
 dere potest casus, in quo judex jurare potest sibi non liquere *l. 36.*  
*de Re Jud. Gotbof. ad l. 27. de lib. caus. 2.* Sortis Judicium, licet & hoc  
 tam divino quam humano jure ad dirimendas lites sapius sit at-  
 tendendum *Num. 26. vers. 56. l. 14 de Jud. §. 23. Inst. de Leg. ubi DD.*  
 3. Casus pro amico, de quibus *pr. Inst. de Off. Jud.* agetur.

§. 1.

*Finis intermedius est juris prudentia, seu juris  
 interpretatio Et ad actiones morales applicatio.*

JURISPRUDENTIA] Prudentia est *habitus cum recta rati-  
 one actus*, ad quam etiam Jurisprud: tanquam principalis Philo-  
 sophiae practicae pars refertur. Illa est 1. Legislatoria quae illum  
 respicit qui jura constituit & authenticè interpretatur, 2. Judici-  
 alis quae ad Magistratum & officium jus dicentis refertur, qui leges  
 usualiter interpretando, æquum ab iniquo separat & jus certis casu-  
 bus applicat *l. 1. §. 1. b. l. 2. §. 5. 6 13. de O. J.* 3. Doctrinalis quam  
 docentes in hunc finem tractant, ut Studiosi leges ex legibus inter-  
 pretari discant, ut quondam Reip. gubernandae possint perfici. Hac  
 & superior precipue hic definitur, quoniam in interpretando & ap-  
 plicando consistit Jcti officium proprium. Jus autem ceu ars & Ju-  
 risprudentia tantum differunt, quantum abstractum & concretum;  
 Illud enim à suo subjecto abstrahitur & in se consideratur: Hac  
 à subjecto abstrahi nequit, quia notitia refertur ad noscentem.

DIVINARUM] Res divinae & humanae hic principaliter  
 non considerantur quatenus tales, sed quatenus in foro civili de his  
 quaestio respectu acquisitionis, conservationis aut alienationis,  
 suboriri potest *l. ult. de LL.* quidve in illis justum, aut injustum sit  
*Surbolt. D. 1. Thes. 32* hoc intuitu enim legum auctoritas divinae  
 & humanae res bene disponit & omnem iniquitatem expellit *l. 1. §. 1.*  
*C. de V. J. E. §. 7. & seqq. 7. de R. D. jung. lib. 1. Cod. tit. 1, 2, 3, 4.* adeoq;  
 res

res divinæ & humanæ hic referuntur ad objectum Jurispr: justum autem & injustum ad formale seu modum considerandi.

NOTITIA ] Notitia hic respicit ad principia, Scientia autem ad conclusiones ex principiis deductas. Quoniam autem finis jurisprudentiæ ultimus non est justa scire, sed juste agere, populariter hæ voces sumuntur, sc: relative ad doctrinam & professionem, quæ propter immotum objectum, scientiæ nomen merito meretur l. 2. §. 35. de O. J. ita etiam dicitur sapientia l. 1. §. 5. de extraord. cog. Aliàs notissimum est, quod prudentia scientiæ & arti opponatur, Hujus enim finis est efficere, Illius scire, Istius agere.

§. His ita 2.

*Methodus docendi & discendi jura est, ut à generalioribus & facilioribus, ad specialiora & difficiliora progrediamur.*

LEVIAC SIMPLICI VIA ] Doctor enim qui verba ad captum auditorum non aptat, sui duntaxat ostentationem quærere videtur cap. oportet. 8. q. 1. juncto can. fin. dist. 73. adeoq; primum crassiore Minerva, rem ipsam pictorum morem imitando, aperire & postea exactiori cura & colore eam exponere debet. Ita n. rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigitur scientiam l. 1. §. 11. C. de V. J. E.

EXACTISSIMA INTERPRETATIONE ] Intelligit hic interpretationē doctrinalem, quæ Professor non tantum ad verba, sed etiam ad rationem legis & meatem ejus respicit, & tunc vel *Declaret Jus* quando genuinum & naturalem legis sensum explicat l. 19. ff. de LL. vel *Extendit* à dispositivo expresso, ad tacite comprehensum; vel *Restringit* generalem orationem ad specialem determinationem. Præprimis a. operam dare debet is qui jura proficitur, ut per causas quantum fieri potest titulos disponat, scire enim est rem per causam cognoscere: Leges autem singulas Analytico apparatu declaret, ita desertorem studiorum non efficiet, sed sine magno labore & diffidentia studiosum ad scopum perducet, vid. Præfat. D. Tabor. ad Barb. augm.

§. Juris

*Universalia juris principia sunt: Honestè vivere.  
Alterum non lædere, Suum cuiq; tribuere.*

PRÆCEPTA ] Rectius dicuntur præcepta quam regulæ, hæ enim sumuntur ex jure & facile vitiantur *l. 1. de R. J. ILLA* autem sunt ipsa principia juris communis, ex quib; tanquam ex fonte omnes leges fluunt. *Primum* autem considerat hominem in se & reliqua suo ambitu videtur comprehendere, licet non consistat cum illis in eadem parendi necessitate *arg. l. 16. §. pen. de min. l. 42. de R. l. 1. 61. de V. O. Secundū & Tertium* considerant hominem relative, *Illudq;* consistit in omittendo, ne proximo vel etiam nobis ipsis injurias manus inferamus, generale enim præceptum Dei est, non occidas *Exod. 20.* neq; proximum lædamus nisi subtili ingenio fiat *l. 2 C. Commer. & Mer. d. l. 16. §. pen. de min.* Hoc in committendo, ut suum cuiq; tribuamus, quod prædicatum hic strictius sumitur, quam in *pr. b.* quoniam ibi etiam ad omissionem, hic autem duntaxat ad commissionem refertur *l. 189 de V. S.*

## S. Hujus. 4.

*Omne jus ab objecto dividitur in Publicum, quod statum Reip. concernit, & Privatum quod cujusq; privati hominis adeoq; singulorū utilitatem respicit.*

STUDII. ] Studium hic non denotat artem juris, quoniam hæc absurde divideretur in publicam ac privatam, sed potius figurate ponitur pro jure cui studendum est, *Hill: ad Don: l. 2. c. 3.*

POSITIONES. ] Alii Species, alii Theses, alii Principia, alii Objecta interpretantur, quod posterius probamus: studium enim civilis scientiæ omne versatur in cognitione juris publici ac privati, *Conan. lib. 1. comm. c. 4. n. 3.*

PUBLICUM. ] Publicum proprie dicitur, quod Populi Romani est *l. 15. 16. de V. S.* Inde Publicum Jus quod principaliter ad statum rei Romana spectat, & consistit in Sacris, Sacerdotibus & Magistris-

D

gistra-

gistratibus, l. 1. §. 2. de J. & J. Adeoq; est cura religionis & negotiorum publicorum. Unde videre est cognitionem juris publici, non eandem esse cum cognitione status, quoniam status alicujus Reipubl: multò plura continet, quam quæ jure Publico sunt definita; Et multa pro ratione status fiunt quæ Juri Publico non sunt consentanea; ad statum enim Reip: pernosendum, non tantum pertinet quid fieri debeat, sed & quid fiat, quod à jure alienum est. Jus verò Divinum non est species Juri Publico opposita, sed ejus duntaxat pars, quatenus civiliter sumitur, l. 23. C. de SS. Ecclesf:

PRIVATUM.] Privatum opponitur publico l. 10. de R. D. & singulos respicit. l. 1. d. 1. à verbo antiquo *privus*, quod singulos significat. Unde Privatum Jus est quod ad singulorum utilitatem pertinet l. 1. §. ult. ff. h. t. h. e. ad cujusque rem familiarem. Privatum tamen Jus etiam Publicum dicitur 1. Quia omne jus publica autoritate est constitutum l. 1. ff. l. fin. C. de LL. 2. Quia omne jus effective ad salutem publicam refertur d. l. 1. l. 2. de LL. 3. Quia omnes obligat ad observantiam, l. 4. §. 7. d. 1. Inde Testamenti factio, & Tutela publici juris esse dicitur, l. 3. ff. qui test am: fac. poss. l. 8. de Tut. pr: J. de Excus. Tut: quare etiam pactis privatorum, ex his quæ publice constituta sunt nihil potest immutari, l. 45 §. 1. de R. J. ubi DD.

DICENDUM.] Officium quidem Jcti circa utrumq; Jus Publicum & Privatum versator, quoniam autem in Corpore Juris principaliter de eo agitur, quomodo cuiq; suum tribuatur, uti ex definitione & explicatione justitiæ patet, inde Juris Publici professio non tam ab officio Antecessoris hic removeretur, quam eidem reservatur, quoniam 1. Jus Publicum est pars Jurisprudentiæ l. 1. ff. §. ult. h. 2. Quia tales debent perfici studiosi, quibus opere perfecto Reipub. administratio possit credi §. ult. proem. Quales non sunt qui duntaxat juris privati præceptis inhærent arg: l. 2 §. 43. de O. J. Ideo etiam 3. Aurea Bulla, Recessus Imperii & Instrumentum Pacis publici juris facti sunt, ut publicè (sine periculoso tamen Principum præjudicio) prælegerentur. Et 4. Leges Juris publici tam artificiosè Legibus Juris Privati sunt subordinatæ, ut illarum

illarum interpretatio sine harum scientia mutila sit. Quoniam  
 5. Leges Publici Juris in diatris Imperii non aliorum quam JCto-  
 rum consilio feruntur, ergo merito illorum etiam interpretationi  
 committuntur. Moderatio tamen ex l. 6 § 3. ff. de Off. Proconsul.  
 est admittenda, ne Jus Publicum, à quovis, omni tempore & loco  
 tradatur. Adeoq; libidinosè disputandi pruritus, ab honesta de-  
 cendi cupiditate merito distinguitur.

TRIPERTITUM. ] Aliter sumitur Jus Tripertitum in §. 3.  
 de Testam. ordin. & l. 2 §. 38. de O. J.

COLLECTUM ] Jus Naturale enim Gentium & Civile, uti  
 titulo seq. parebit, sunt partes juris privati, quib. Romani utuntur,  
 particula itaq; aut hoc loco accipitur pro conjunctione § l. 53. de  
 V. S. Pac. b. Quod autem Jus Publicum ex iisdem partibus sit  
 collectum, utiq; affirmamus, licet illud magis formaliter, & hoc  
 materialiter ex his fontibus sit exhaustum C. J. A. de J. & J. n. 12.  
 Quoniam in hoc salus populi, in illo autem quod apud singulos  
 æquum & justum, suprema lex est.

## TIT. II.

## DE JURE NAT. GENT. ET CIV.

RUBR. ] Progreditur Imperator ad alteram causam juris  
 externam, sc. *Efficientem*; in quâ consideratur homo 1. ut *Animal*,  
 quatenus naturâ quasdam actiones justas habet innatas; 2. ut *Homo*  
 quatenus communi ratiocinatione, seu jure omnibus gentibus  
 communi utitur. 3. ut *Civis* & ita jure positivo tenetur.

Connexio § 5. Jus in h. r. consideratur, 1. Absolute uti est  
 institum à natura naturante pr. vel Constitutum à natura naturata  
 vel Positum à Magistratu §. 1. 2. Hoc dividitur §. 3. & declamatur per  
 species distinctas §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Comparatè & tunc *effective*  
 §. 11. *Objective* §. ult.

Pr:

Jus naturale natura naturans hoc est ipse Deus  
 D 2 homines

homines propriè & formaliter, bruta autem animalia relativè & materialiter docuit.

JUS NATURALE ] Definitur hic & l. 1. §. 3. de J. & J. quatenus sumitur pro instinctu naturali, ex facultate sensitiva promanante, secundum quam actus quosdam natura animalibus communiter impressit ac moderatur, ut relati ad hominem, in quo rationis moderamine perficiuntur, propriè Jus naturale constituent: Analogicè tamen etiam brutis tribuitur; quia etiam in horum actibus, aliqua rectæ rationis similitudines reperiuntur, quæ si ad hominem referantur, rectè Jus naturale constituunt, quo pertinent exempla h & l. 2. 3. ff. de J. & J. relata. Junge Cicer. de Off. l. 1. c. 1. & l. 4. de Fimb. & tunc Jus naturale definitur: *Dictamen recte rationis indicans actui rectitudinem moralem.*

NATURA ] Hoc est ipse Deus naturans, qui ad agendum id quod rectum & justum est nos impellit. Ubi merito actus mere naturales qui per se indiscretè se habent, neque ad regulam æqui aut boni referuntur, ut edere, ire, stare sedere &c. à jure nat. separamus.

OMNIA ANIMALIA ] Indè patet quod hoc Jus originaliter non ex facultate animæ rationali sed sensitiva fluat, cum etiam illa animalia quæ rationis usu carent, tales actus exerceant, quos homo justos appellat, & ex quibus jus naturale determinat.

COELO ] Scilicet elementari seu aere, inde dicitur cælum crassum, vel serenum; Hæc autem locutio Jctis vulgaris est, § 12. J. de R. D. l. 1. 28. de S. P. U. inde cœlestis aqua d. l. 28. l. 1. § 1. de aqu. plu.

CONJUNCTIO ] Potius animorum quam corporum intelligit conjunctionem, quæ fit sobolis procreandæ gratia l. 220. §. ult. de V. S. coitus enim qui alio fine suscipitur, etiam cum uxore vitiosus est, c. 2. dist. 13. c. origo 32. q. 4. nec in brutis moratoribus observatur.

EDUCATIO ] Ad educandum liberos naturalis stimulus parentes impellit, l. un. §. 5. C. de R. U. A. & necare videtur qui alimenta denegat l. 4. ff. de agn. & al. lib.

CENSERI.] Idem est ac referri inter homines arg. l. ult. de suis &

*ius & leg. l. 8. ff. de assign. lib:* illam enim actum, quem brutum facit ex instinctu sensitivo, si homo approbaverit, juri naturæ ascribitur, ejusq; exemplum probat.

§. Jus autem I. & §. Sed Jus II.

*Populus Romanus partim utitur jure proprio, seu Positivo, partim communi, seu Naturali & Gentium, quod naturalis ratio vel simpliciter vel cum ratiocinatione inter omnes homines constituit.*

JUS CIVILE.] Hic 1. non denotat omne jus quod in civitate observatur *arg. l. 6. q. de J. & J.* Nec 2. illud quod opponitur Edictis Prætorum, *§. 7. b. l. 8. d. t.* Nec 3. Leges 12. tab. *pr. J. de Usus.* Nec 4. Jus ffortorum *§. 3. de Test. ord.* Sed 5. Generaliter sumitur pro jure positivo, quod quævis civitas sibi jus constituit. Et ita opponitur juri naturali, *§. 1. 2. b.* à quo tamen fluit, per modum determinationis, & arbitramenti humani, *l. 6. ff. h. Subh. D. 1. 1b. 62.*

DISTINGVITUR.] Jus Civile à naturali varie hic distingvitur, 1. Etymologià: 2. Definitione, 3. Causa Efficiente, 4. Subjecto, 5. Fine. 6. Effectu, *§. 1. 2. 11. b. e.*

CIVITATIS.] Jus Positivum præsupponit condentis Majestatem, cujus particula summa est potestas ferendarum legum generalium, *l. fin. C. de L. L.* Leges enim locales *Decretis* vocantur, *t. t. ff. de Decr. ab ord. fac. & hodie Statuta*, quæ ut in Judicio appellationis attendantur, & propter majorem firmitatem, superiorum confirmatione sæpè indigent, non quidem ad esse, sed bene esse.

NATURALIS RATIO.] Ratio est Causa quæ ex principiis æqvitatibus Jus deduxit: eaque vel Naturalis vel Civilis est. *Quædam* enim ad simplicem rationem referuntur, quæ ex naturâ naturante insita sunt, & constituunt Jus Naturale seu Jus Gentium primum, cujus exempla sunt *l. 2. 3. b.* *Quædam* autem ex rationis ratiocinatione utilitate & necessitate exigente fluunt ac constituunt Jus Gentium secundarium *§. 2. b.* cujus exempla sunt in *l. 4. 5. ff. b. e.*

D 3 quod

quod etiam Jus Naturale dicitur, l. 1. ff. §. 12. J. de R. D. *Quaedam* ex merâ ratione Civili, adeoq; ex arbitrio Legislatoris & moribus populi duntaxat dependent, quæ Jus Positivum seu Civile in specie sic dictum constituunt, ad quod Jus Gentium secundarium nullatenus potest referri.

CONSTITUIT.] Non quasi (quod impossibile fuit) omnes Gentes actualiter convenerint, & Jus hoc constituerint; Sed quod ideò ab omnibus receptum sit, dum communi rationi consentaneum videtur. Nec obstat quod quædam Gentes ut Ægyptii, Lacedæmones, & Aliæ, pro corruptis moribus, varia scelerum genera permiserint, exinde enim non magis Jus mutatur, quam si album corrupto oculo videatur nigrum.

USU EGIGENTE.] Jus enim naturale secundarium seu Jus Gentium constitutum est partim exigente utilitate, dum ex duobus malis minus quod ratione boni habere videtur est eligendum *Arist. 5. Eth. 4. 2.* partim dicente necessitate, ne homines indigentia vel vi succumbant.

NATURALI JURI CONTRARIA.] Servitus dicitur juri naturali contraria, non positivo, sed juri permissivo, ex quo tamen secundario oritur. Adeoq; ut in thesi servitus naturali libertati seu facultati contraria videatur, in hypothesi tamen postquam bella introducta sunt summam rationem habet. Interim hoc Jus Gentium quod ita juri naturali derogat, non possumus jus naturale vocare l. 4. de J. & J. l. 64. de Cond. indeb. l. 32. ff. de R. J.

PENE.] l. 5. ff. b. t. quia quidam contractus juri civili duntaxat ascribuntur ut Stipulatio l. 1. ff. locat. §. 91. de Ad. Literarum Obligatione. t. J. de Liter. Obl. Donatio propter nuptias, Nov. 119. c. 1.

§. Omnes 3.

*Omnes Populi reguntur Legibus hoc est jure scripto, & moribus hoc est jure non scripto §. 1. h. adeoq; à formâ omne jus est scriptum & non scriptum.*

JUS NOSTRUM.] Hæc divisio non quadrat juri naturali, quoniam  
niam

34  
niam illud naturalis ratio docuit, nisi quatenus mediante promul-  
gatione approbatur, & in corpus juris relatum est.

SCRIPTO ] Jus scriptum licet tale ab accidenti à scripturâ,  
in quam solet redigi dicatur, tamen hic tale dicitur à causa efficiente,  
& formali, quia publicâ autoritate est sancitum ac promulgatum  
*arg. §. 11. de R. D.* Scriptura enim non est de essentia legis, quoniam *Ma-*  
*teria* ejus est æquum & bonum, *Forma* autem promulgatio, siquidem  
Leges fuerunt antequam scriptura esset inventa, & leges apud Ro-  
manos promulgatæ valebant, antequam æneis tabulis inscriberentur  
*l. 2. C. de sum. Urb. Consant.* quod autem rei constitutæ accedit, spe-  
cificam ejus differentiam non constituit. Adeoque statim à die pro-  
mulgationis lex obligat, nisi quis ignorantiam, quæ intra duos men-  
ses probabiliter excusat, prætendat *Nov. 66. c. 1.*

Juris scripti species non quidem forma & effectu differunt, sed  
causa efficiente, quemadmodum enim status, ita etiam Magistratus,  
qui huic varietati causam dederunt, apud Romanos varii fuerunt, uti  
patet ex §. §. seqq. & *l. 2. ff. de O. J.*

§. Lex: 4.

*Post ejectos Reges, Status ab initio fuit popularis  
ac mixtus, unde Leges à populo per Coss: & Plebiscita  
à Plebe per Tribunos rogabantur. l. 2. §. 4. 12. de O. I.*

LEX ] Varias admittit significationes: sumitur pro omni jure,  
& est, Regula actuum moralium obligans ad id quod justum est *l. 24.  
de stat. Hom. l. 1. 2. ff. de LL. H. Grot: l. 1. c. 1. n. 9.* 2. pro jure positivo  
*tt. de LL.* 3. pro jure scripto, *c. 4. dist. 1. l. 9. de J. & J.* 4. pro Plebiscito  
*Rubr: ad L. Falc. l. 9. ff. de Paet. l. 1. de Off. ej.*  
5. pro L. XII. tab. *l. 130. de V. S. l. 2. §. 12. de O. I.* 7. pro Lege lata à Po-  
pulo post ejectos Reges *l. 2. §. 3. 4. d. i. de quâ significatione hic.*

INTERROGANTE ] *Velitis jubeatis Quirites: Tunc Populus  
respondebat V. R. h. e. Uti rogas. Gell. l. 10. c. 20.*

PLEBISCITUM ] Plebis autoritas cœpit, cum premeretur  
à Patriciis & secederet *l. 2. §. 8. de O. I.* Secessio autem triplex fuit

1, 10

d. in montem sacrum propter æs alienum A. U. 260. 2. Ob vindicias Appii Claudii d. l. 2. §. 24. 3. in montem Janiculum d. l. 2. §. 8. Franzk. de O. J. n. 25. Et tunc Resp. Romana in statum popularem migravit.

[SPECIES à GENERE] Non ita differunt logice, sed ut totum & pars, quia Populus non prædicatur de Plebe ut genus de specie, neque harum vocum eadem significatio JC. & Philosophis vid. §. 22. de Legat.

[L. HORTENSIA] Primò lata fuit L. Horatia A. U. C. 304 quæ postea, seditionis sedandæ causa, confirmata est à Q. Hortensio Dictatore Anno U. C. 667. Gell. 15. N. A. 27. Hotom. de LL. Rom. b. v. Aug. de Civit. Dei l. 3. c. 17. Adeoq; inter Legem & Plebiscitum species quidem constituendi interfuit: potestas autem eadem d. l. 2. §. 6.

§. Senatus consultum 5.

*In statu Aristocratico Senatusconsultum vim Legis habet: Et Senatus vice Populi consulebatur.*

[AUCTUS] Aucto Populo difficile Plebs, ac difficilius Populus convenire cœpit, inde observabatur quod Senatus constituebat d. l. 2. §. 9. de O. J. quo enim auctor facta est Resp. eo sublimior optimum autoritas crevit, cum antea à Senatu ad Populum provocatio esset, neq; Consules de capite civis Romani statuere. possent d. l. 2. §. 16. Et quamvis in statu Monarchico Senatus autoritas ipso jure rueret l. un. C. de SC. tamen ab initio insigni stabiliendæ Majestatis Monarchicæ arcano, Augustus & Tiberius nihil fere statuerunt, quod non in Senatu solenni oratione prius esset propositum, ac SC. confirmatum l. 8. C. de Transact. l. 1. ff. de Reb. eor. qui. l. 1. de Fer. Unde eadem res modo SC. modo orationibus Principum ascribuntur d. l. 8. l. 23. §. 2. ff. de Cond. indeb. l. 1. 7. 12. de Præd. Min: l. 1, 8. 10. 16. ff. de Reb. eor. qui. & ita explicanda l. 9. ff. de LL.

§. Sed & 6.

*Quod in statu Monarchico Principi cœn Imperatori*

ratori animo jus comm: vel privilegium constituendi  
 placet, legis habet vigorem & dicitur Constitutio  
 l. 3. C. de LL. t. t. de Const. Princ.

PLACUIT ] Placet non est absolute potestatis & libidinis sed  
 rationis & consilii *Consf. adl. 1. b. 1.* Non enim opinio & sola uti-  
 litas Principis, sed salus Populi legum censura esse debet *Connan l. 1.*  
*Comm. c. 1.* quoniam bonus Princeps ita debet Leges ferre, ut fiat ju-  
 ris religiosissimus *l. 11. de LL. jung. pr. proœm:*

LEGE REGIA ] Vocatur L. Augusti *l. 14. in fin. ff. de Man: &*  
 denotat ipsam potestatem regiam, quam Populus in Augustum  
 transtulit, dum discordantis patriæ nullum remedium erat quam ut  
 ab uno regeretur *Tac. l. Ann. 9. Suet. in Aug. c. 58.* Itaque abdi-  
 cative omnis potestas in Augustum primo translata, *l. 1 pr. de Const.*  
*Pr. l. 2. §. 11. de O. J. l. 1. §. 7. C. de V. J. E.*

EPISTOLA ] Est rescriptum ad consulentes emissum; *Decre-*  
*zum* est sententia inter litigantes lata; *Edictum* est quo publice quid  
 jubet aut vetat *l. 8. de Quæst. Intercutio* est sententia de plano lata non  
 definitiva *l. 1. de Const. Princ. Pragmatica sanctio* ex sententia concilii  
 ad universitatem emititur *l. fin. C. de Divers. Rescr.*

PERSONALES ] Constitutiones Principum vel sunt ge-  
 nerales quæ omnes obligant & jus commune, vel speciales, quæ  
 Privilegia dicuntur. *l. 1. de Const. Princ.* Privilegia autem iterum  
 vel sunt rei ac causæ, vel personæ, quorum *Hæc* cum persona expi-  
 rant, *illa* autem ad heredes transeunt, *l. 68. 196. de R. J.* ad quæ  
 etiam Privilegia certo collegio concessa referimus *l. 4. §. 3. de*  
*cons. l. 76. d. Judic. Frantzck. de Const. Pr. n. 44. Sand. ad d. l. 68. de R. J.*

PŒNAM IRROGAVIT ] sc. mitiorem lege, siquidem exasperatio-  
 nem pœnæ privilegium dicere durum videtur, quia objectum pri-  
 vilegii est juris remissio non exasperatio *arg. l. 3. de Const. Princ.*

§. Prætorum 7.

Quod Prætores & Adules Curules futuri juris  
 dicendi causa dicebant, jus honorarium dicebatur.  
*l. 7. 8. ff. b. l.*

E

PRATO-

PRÆTORUM.] Prætores *h. & l. 2. § 10. de O. J.* Magistratus dicuntur qui iudicando in urbe præerant, *d. l. 2. § 27.* adeoque officium illorum ad iuris civilis executionem directam, his tribus verbis absolvitur, *DO, DICO, ADDICO,*

EDICTA.] Edicere est aliquid in genere & absque rerum ac personarum complexu prædicere: Inde Prætorum Edicta vocantur, quicquid in albo suo, seu gypsata tabella Prætor ab initio magistratus proponebat, *l. 7. ff. de Jurisd.*

AUTHORITATEM HUIUS JURI DEDERUNT.] Natura iuris Prætorii in eo consistit, quod vel adjuvet, vel suppleat vel corrigat jus civile *l. 7. ff. h. l. 3. § 1. ff. naut. caup. stab.* Inde dicitur viva vox iuris civilis *l. 8. ff. h.* neque tamen potest jus civile tollere, *l. 12. § 4 ff. de Publ. in rem act. l. 12 §. 1. de Bon. Poss. junct. l. ult. C. de LL.* Et ab initio quidem Prætores pro arbitrato jus dixisse videntur, donec *L. Cornelia de Jurisdictione Prætorum* statutam esset, ut ex Edictis semel propositis perpetuò jus dicerent *Hotom. de LL. Rom. h. l.* Quoniam tamen Prætorum Jurisdictione tantum annua erat *pr. J. de Perpet. & temp. act.* illorum etiam Edicta successorem non obligabant: Ne autem inde edictorum multitudo perniciosa foret Reipubl. auctoritate Imp. Hadriani *Salvius Julianus* omnia edicta (additis quibusdam novis clausulis *l. 3. ff. de Coniung. cum. eman. lib*) in unum volumen *Perpetuum Edictum* dictum collegit *l. 2. §. 19. C. de V. J. E.* Unde etiam summæ auctoritatis homo & perpetui edicti subtilissimus conditor laudatur *l. pen. C. de Cond. indeb. d. l. 2.*

ÆDILES.] Alii fuerunt plebei, & tribunorum plebis ministri, *l. 2. §. 21. de O. J.* Alij Curules à curru vel sella curuli dicti, qui erant magistratus & quibus cura urbis, annonæ & emtionis venditionis competeat *l. 2 §. 26. d. t. l. 5. de V. O. l. 3. de via publ. §. 1. J. de Divis. Stip. Christin. V. 2. Dec. 66.*

§. Responsa §.

*Responsa prudentum quatenus in statu populari sunt recepta vim consuetudinis l. 2. §. 5. de O. J. & quate-*

15  
quatenus in statu Monarchico sunt confirmata vim  
legis habent d. l. 2. §. 47 d. t.

PERMISSUM. ] Augustus Imperator jus respondendi à  
Principe peti & impetrari voluit d. l. 2 §. fin. unde descendit quod  
hodiernum doctoralis dignitas nomine Principali conferatur.

RESPONDERE. ] h. e. cum effectu juris, unde saepe appel-  
lantur juris conditores, l. 25. C. de Nupt. l. 23. C. de Procur. Juris  
auctores l. p. C. de V. S. & Legumlatores Cujac. l. 7. Obs. 25. *Carroz*  
*de part. c. 2. f. 2. pag. 128.*

RECEDERE. ] Hodie quidem responsa prudentum, cum il-  
lis quæ in pandectas sunt relata, non quidem habent vim legis arg  
l. ult. C. de LL. l. 2. §. fin. C. de V. J. E. Probabiliter tamen con-  
cludunt, nec Judex facile ab illis recedit, nec si recedat victum in  
expensas condemnat, *Menoch. de A. J. Q. l. 2. sent. 2. c. 177. n. 5.*

§. Sine Scripto, 9.

Consuetudo est Jus quod sine scripto hoc est pu-  
blica sanctione populus rebus & factis usu appro-  
bavit, l. 32. ff. de LL.

MORES. ] Mos est diuturna & inveterata consuetudo po-  
puli, l. 214. de V. S. inde passim fit oppositio inter mores & leges  
d. h. 32. §. 1. b. l. 5. §. 1. de extmord. cogn.

DIUTURNI. ] Ad consuetudinem autem introducendam  
quatuor conjunctim requiruntur 1. diurnitas temporis, l. 32. §  
seqq. ff. de LL. l. 2. C. qua sit long. consv. quæ non ex decennio sed  
arbitrio judicis est dijudicanda C. J. A. n. 36. de LL. 2. Consensus  
utentium c. 3. diff. 4. 3. Ratiocinabilitas ne sit verustas erroris  
l. 14. d. t. Nov. 134. c. 2. 3. 4. Diversi actus non tantum judiciales,  
qui in specie dicuntur stylus curiæ, sed etiam extrajudiciales, duo  
tamen actus non sufficiunt, l. 1. C. qua sit long. consv. l. 15. §. 22. de  
injur. *Speck. Cent. 1. q. 73.*

LEGEM IMITANTUR. ] Consuetudo habet triplicem effectum

E 2

1. inter-

Interpretativum l. 37. ff. de LL. c. 8. X. de consuet. 2. Derogativum l. 6. de Evict. 3. Imitativum d. l. 2. cap. 5. d. 1. Legem tamen per se non vincit, l. 2. C. qua sit long. consv. h. e. sua autoritate essentiali non superat, nisi sit posterior & rationalis.

§. Et non. 10.

Hic §. minus considerate scriptus est, quia differentia inter jus scriptum & non scriptum, non deducitur à scriptura tanquam accidenti, nec ab institutis Atheniensium & Lacedaemoniorum quia non minus hi quam illi jure promulgato utebantur.

§. Sed naturalia, 11.

*Jus naturale positivum est immutabile, non autem jus naturale permissivum, nec civile.*

IMMUTABILIA. ] Jus Naturale positivum, quod Deus & Natura ita decrevit per se est immutabile: Jus autem naturale permissivum, quod à natura utiliter est concessum & humano arbitriopermissum est mutabile. Licet etiam in illo saepe imago quaedam mutationis incautos fallat, dum non quidem ipsum Jus naturae, sed res de quâ cautum est ejusq; circumstantia mutationem recipit H. Grov. l. 1. c. 1. n. 10.

MUTARI SOLENT. ] Omne autem Jus mutatur vel contraria consuetudine vel contraria lege l. ult. de Const. Princ. modo evidens subsit utilitas, l. 2. d. 1. quoniam non idem semper est Reip: status l. 21. C. de Furt. l. un. C. de cad. toll. & natura formas edere novas deproperat, unde Augustum remedium implorandum l. 2 §. 19. C. de V. J. E.

§. Omne Jus.

*Objectum juris commune sunt judicia, partiale autem Personae, Res & Actiones l. 1. 2. de Stat. hom.*


AD PERSONAS. ] Personae enim acquirunt res per actiones in judicio. In Personis autem consideratur status, ordo & officia. In Rebus acquisitio, conservatio & alienatio, l. ult. de LL. de quibus lib. 2. 3. & 4. ad tit. 6. In Actionibus Judiciorum origo ac finis, lib. 4. lit. 6. & seqq.


34. Knorr, de eo quod iustum est secundum observantiam  
cothoricensis circa jus tabellarum
35. Knorr, observationes ad prooemium Institut. F.  
Justiniani imp.
36. Struczer, de con. et disconvenientia juris romani et  
statutarii versustensis in materia successione conjugum ab  
intestato.
37. Struczer, de testamento privato solemniter, praesertim  
scripto, sine clausa.
38. Struczer, de eo quod iustum videtur circa appellati-  
onem a statibus imperii evangelicis ad imperatorem in  
causis ecclesiasticis.
39. Schefer de fama.
40. van Deventer, de probationibus.
41. Pertsch, de reformatione actuum valide et legitime  
celebratorum.
42. Poppel, de commodis incertitudinis.
43. Poppel, de actibus contractibus vulgo adijci soli-  
ta.
44. Olearius, de patientia iudiciali.
45. Boorn, de communicatione peregrina inter  
Choricosum casura.
46. Schroeder, de iuribus mulierum in concursu credi-  
torum ratione allodii et feudi.

47. Boerzell. De necessitate et usu philosophiae practicae  
in studio juris.

48. Boeckelmann De momento ejusque causa.

49. Anglius exceptionem excussionis extraneo possessori  
competentem a





Coler, d. Pr. Exec. p. 3. cap. 2. n. 20. Unde hu-  
siones judiciales (extrajudiciales verò non pro-  
loco probationis habentur Zas. in l. 1. n. 5.) ex  
lum rediguntur, item instrumenta in judicio  
recognita, aut publico sigillo munita, contrac-  
brati & pro more in libros publicos, die C  
(6) instrumenta à Notariò legitimè confecta  
biir. tutel. Novell. 41. & 73. c. 8. l. 11. C. qui pot  
lib. 2. cas. 17. n. 5. quicquid in contrarium pr  
Svaretz. citati ab Umm. d. 25. th. 2. n. 12. (7)  
dum homologatum. Afm. d. Execut. §. 1. c. 15.  
tum litis decisorium præstitum Svaretz. in l. po  
492. §. nota secundo n. 1 præterquam in casib  
(9) Contractus juratus, quia juramentum si  
Umm. disp. 23. th. 2. n. 12. (10) privata chyro  
cautiones, literæ cambiales, Wechsel, Wie  
Kerhöhlgere / modo recognitio accesserit. O  
Alle briefliche Urkunden / welche gericht  
soll das Warth / wieder welche sie einbracht  
Decis. Nov. 74. Per testes autem liquidatio  
da, cum cause hæ ventitentur in processu su  
Imper. p. 3. c. 2. Item Sachen der Liquidati  
p. 1. c. 1. n. 60 ubi testes non recipiuntur. Ide  
de documentò à debitore subscripto & sigilla  
blancà ab aliò confectò & extenso. Carpz. in  
n. 49. seqq. nisi reus tales probet præsumption  
fessionem contentorum sibi admittendus Carpz  
autem dicendum de instrumentis ad aliud sese  
si quis C. d. Edend nisi sint confecta inter easde  
lib. 3 Resp. 83. n. 67. add Dn. Schwend in  
Membr. 1. c. 1. l. 1. b. c.

Theſ. XXI.

Notandum verò, liquidationem ab init  
accedente si iudicis moderatione, certam fier  
certam. Nam si certò jam constat de quantita  
schedà expressà eaque v. gr. modis superiori th

fes-  
item  
col-  
ta &  
tele-  
elati  
Ar-  
och.  
l. &  
lau-  
nem-  
mp.  
eptis.  
dum  
pha,  
neæ,  
ibi.  
cht /  
Add.  
liqui-  
tam.  
cept.  
dum  
men  
rt. 1.  
dif-  
liud  
utb.  
rpz.  
p. 2.

stea (ir  
in-  
onis  
dita  
sic

